

inutilem etiam operam in conferendis PP. locis aliquando praestare possit.

Codicem ambiunt Literae *Arnesti* I. Archiepiscopi *Pragensis* ad Abbatem et Conventum O. S. B. in *Wilemow* Dioecel. *Prag.* in membrana scriptae, pro *Petro de Zatz* beneficio donando, quibus insertae sunt aliae *Innocentii VI.* datae *Avenione Pontificatus Anno primo*, i. e. 1353.

CX. VIII B 22.

<sup>122</sup> Codex membranaceus lat. Sec. X. Folior. 286. f. forma pene quadrata per duas columnas eleganter scriptus, rubricis distinctus et optimae notae continet *Christiani Druthmari* ob scientiam et *πολυγλωττιαν* dicti *Grammatici* Aquitani, Monachi *Corbejenfis* O. S. B. Scriptoris, ut mox patebit, Sec. IX. *Opera residua*, et primo quidem *Commentaria* egregia, sensuique potissimum literali inhaerentia in *Evangelium Matthaei*. Edita sunt illa primum ope solertissimi *Jac. Wimpbelingii*, praefixis *Leonis X.* Insignibus, *Argentorati per Job. Grüningerum*

1514. f. restituta per *Menrad. Moltherum*, qui, ut docet *Praefatio*, praecedentem Editionem ignorabat, ex *Bibl. D. Andreae Vormatiensi, Haganoae* typis *Job. Secerii* 1530. 8. Quo loco peccat *Historia Lit. Galliae* T. V. p. 89. ex *Secerio* editorem, ex *Molthero* typographum faciendo. Tandem in *PP. Bibliothecas* transferre, neque est, quod *Historia* paulo ante citata queratur, neglectam esse lectionem, quam *Sixtus Senensis* in vetustissimo Codice *Bibl. O. Minor. Lugduni* invenerat; habetur enim haec lectio in margine T. XV. *Bibl. PP.* edit. *Lugdunens.* p. 165. ubi *Druthmarus* ad C. *Matth.* 26. historiam institutionis S. Coenae exponit, qui, cum a quibusdam, teste *Fabricio Bibl. med. et inf. Lat. v. Christianus*, et *Hist. lit. supracit.* infimulatus fuerit a sensu Catholicae Ecclesiae in explicando hoc mysterio deflectere, aliique alios de Exemplarium corruptione criminarentur, operae pretium videtur, *Codicem* nostrum eo in loco cum *Moltheri* editione et *Bibl. PP.* contendere.

*Noster.*

*Molth.*

*Bibl. PP.*

Et post. et quem de sancta Maria adsumpsit.

Et post, et ei quem de sancta &c.

Et post, quem de sancta &c.

Et potentiam ueraciter inesse monstravit.

Et potentiam ueracitatis &c.

Et potentiam ueraciter &c.

Semper hoc in figuram facerent.

In figura.

In figura.

Quod pro eis acturus  
erat, non obliu-  
scentur.

Hoc est corpus meum,  
*id est in Sacramen-  
to.*

Ad confortandam et  
recreandam no-  
stram fragilitatem.  
recte in haec duo mi-  
nisterium sui sacra-  
menti confirmare  
placuit.

Transferens spiritali-  
ter corpus in pa-  
nem, uinum in fan-  
guinem

Cum venirent ebrii ad  
communicandum.

Atque his Lectorum iudicio ex-  
positis ad Codicem demum ipsum  
describendum adgrediamur. Exor-  
ditur is ab Epistola nuncupatoria:  
*Uenerabilibus in Christo patribus,  
in coenobiis sancti petri principis  
apostolorum cognominibus stabu-  
laus et malmundario (Molth. Sta-  
bulensis et Malmondariensis Bibl.  
PP. Stabulariis tantum) deo mili-  
tantibus et ad felicia tendentibus  
uester fidelis famulus Christianus  
indignus sacerdos &c. Quia uerba  
sonando transeunt. et transeundo  
deficiunt. necesse est alligari lite-  
ris uerba &c. Epistolam excipit  
Index hac rubrica: Incipiunt Ca-  
pitula de Euangelio secundum Ma-  
theum. Sunt autem nobis LXXIV.  
Molthero tantum LXVII. Ad cal-*

Quod — et *bujus ca-  
ritatis* non oblivisc.

Idem.

Recte haec duo in my-  
sterium

Idem.

Idem.

Quod pro eis acturus  
erat, non obli-  
vise.

Idem. sed *Sixt. Se-  
nens.* in marg. Hoc  
est corpus meum,  
*hoc est, vere in  
Sacramento subsi-  
stens.*

Ad confirmandam et  
recreandam no-  
stram infirmitatem  
recte per haec duo  
ministerium &c.

Idem. sed *Sixt. Sen.*  
in marg. *Panem in  
corpus* et &c.

Cum venirent *He-  
braei* &c.

cem rursus minio: *Expliciunt Ca-  
pitula. Incipit Euangelium secun-  
dum Mattheum.* Atque hinc opus  
sic progreditur: *Hunc titulum  
non fecit euangelista. sed interpres  
qui ipsum interpretatus est &c. fi-  
nitque cum Bibl. PP. ut absque  
macula et ruga occurrat in die iu-  
dicii, quod annuere dignetur, qui  
pro ea effudit sanguinem suum do-  
minus noster ihesus christus. qui  
uiuit in secula seculorum. Amen.  
Explicit Commentum Christiani.  
Moltheri editio, et melius qui-  
dem, sex pene columnis nostris  
brevior in haec uerba definit: *al-  
teram quam pollicebatur, id est,  
diuinitatis.* Vix enim persuadeat,  
adfuturum post haec uerba pannum  
*de disputatione Episcoporum cum**

*Eutyche Druthmari* esse sobrii et verborum parci scriptoris.

II. fol. 277. Sequitur *Cento* ex Expositionibus *Druthmari* in *Lucam* confarcinatus. Scripsisse autem *Druthmarum* in hunc quoque Evangelistam ex verbis illis *Epistolae* ante *Matthaeum* defumi potest: *In Luca quoque audio post sanctum ambrosium eundem Bedam manum misisse, sed non potui inuenire adhuc in toto eius expositionem, nisi quasdam eius homelias. Si uero nec inuenero, et uestrum omnium cohortatio adfuerit, et in hoc quoque laborare temptabo.* Incipit nobis κεφαλως: *Lucas ipse consurgens causa scribendi euang. ne pseudo euangelistis esset facultas predicandi falsa &c.* Finit: *Maria iacobi. soror sancte marie.*

III. fol. 283. p. 2. Succedit alter *Cento* in *Iohannem*, in quem pariter commentatum fuisse *Druthmarum* ex eadem *Epistola* liquet, in qua ait: *Si ergo uidero quod vobis hoc primum factum placeat. ad euangelium iohannis manum mittam.* Incipit vero: *Secundum iohannem. Gratiam pro gratia. id est primo fidem. deinde remissionem peccatorum. et uitam aeternam &c.* et finit: *Mons tabor XXX stadiis sublimatur. super latus XXIII stadiis Exp.* Uterque hic cento admodum confusus et imperfectus est, legiturque in *Bibl. PP. I. cit.* non autem in editione *Moltheri.*

Ceterum Autorem nostrum supra Seculo IX. cum aliis adscriptimus contra *Fabricium*, qui *Ano-*

*nimum Mellicensem* a Cl. Bern. Pezio ad calcem *Bibliothecae Bened. Mauriana* 1716. Aug. editum, et a se in *Bibliothecam* suam *Ecclesiast.* p. 141. cooptatum secutus, *Druthmarum* Seculo XI. adsignavit. *Anonymus* ille rem non satis compertam sibi habuisse videtur; *Druthmarum* enim. c. 102. binominem facit *Guidmundum* et *Christianum*, et postquam jam c. 90. de *christiano Pontifice* (*Aversae*) *Apulorum* egisset, rursus c. 102. ad eum redit, aitque monachum in *Monasterio Stabulaus*, dum *Abbas* constituendus esset, aufugisse, repertumque tandem sub *Gregorio VII.* *Ecclesiae Aversanae* praefectum fuisse, scripsisseque fratribus supradicti *Monasterii* explanationem egregiam super *Matthaeum*. Utut verum sit, quod de *Guitmundi* fuga, in qua *Christiani* nomen adsumsit, narrat, nunquam ille *Monachus Stabulensis* fuit, nec a *Gregorio VII.* sed ab *Urbano* demum II. *Aversanus* Praeful renunciatus est. *Commentarium* praeterea nostrum nullus scripsit *Episcopus*; non enim diceret *Episcopus*: quia perspexi iuuenibus nostris post expositum bis textum *Euangelii Matthaei obliuioni haberi*: non diceret *Episcopus Aversae* degens *Coenobitis Stabulensibus*: *Supra omnes homines uestra mibi gratior est societas*, ut in *Praef.* Operis nostri legitur. Locus demum ad illa *Matth.* verba c. XXIV. v. 14. *Et tunc veniet Consummatio*, plane evincit *Druthmarum* Sec. IX. scripsisse. Ita ille: *Nescimus jam gen-*

gentem sub caelo. in qua christiani non habeantur. Nam et in goc et in magoc. quæ sunt gentes hunorum. quæ ab eis gazari (Chazari) uocantur. iam una gens quæ fortior erat ex his. quas alexander conduxerat. circumcisa est. et omnem iudaismum (turcismum?) obseruat. Bulgarii quoque qui et ipsi ex ipsis VII. gentibus sunt. cottidie baptizantur. Atqui Bulgarorum ad Sacra christiana conversionem Scriptores magno consensu ad Seeculum IX. inclinans reponunt. Ad do locum de agro figuli Matth. c. XXVII. v. 7. Ad quem sic noster: *Modo idem ipse locus hospitale dicitur francorum. ubi tempore karoli (M.) uillas habuit, concedente illo rege (Aarone Raschidio) pro amore Karoli. Modo solummodo de elemosina christianorum uiuunt et ipsi monachi et aduentantes. Qui locus satis indicat, non adeo multum temporis inter Caroli M. mortem et haec scripta effluxisse.*

## CXI. VIII. B. 7

107 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 188. f. luculente scriptus et rubricis distinctus, optimaque notae continet vasta *Commentaria in Evangelium S. Matthæi*, quæ in tergo thecae inscribuntur *Remigio Monacho Antissiodorensis Coenobii O. S. B. Auctori plurium Operum exegetico- rum in Scripturam Sec. IX. cui ejusmodi Commentaria post Tritheimium, Sixtumque Senens. tribuunt Arn. Wion in Ligno vit.*

P. I. L. 2. qui Exemplar mf. *Venetis* in *Bibl. S. Georgii, Majoris, Bern.* Pezsius in *Dissert. Isagog. ad Thes. Anecd.* qui simile in *Bibl. Electoris Monacensi* uidit, J. I. Frisius, qui in *Bibl. Gesneri* ad nostrum hunc Codicem adpellat. Verum, si *Commentaria ista Remigio* tributa, ut *Wion, Pezsius*, et nuper *Ang. M. Bandinius T. I. Catal. Bibl. Laur. col. 632.* testatus est, *Prologum* sic ordiuntur: *Admonendumus, ut spiritale opus spiritali intentione aggrediamur &c.* sique Opus ipsum teste *Bandinio* ita incipit: *Initium est inchoatio, vel alicujus rei principium, quasi primum caput &c.* necesse est, ut aut illorum Codices, aut noster alium sibi autorem quaerant, quam *Remigium*. Noster enim Codex post *Lemmata Capitum* litera quadrata rubra sic *Prologum* auspiciatur: *In Nomine. Altipotentis. Dei et Domini. Nostri Ihesu Christi. Incipit Tractatus. In Evangelium. Matthei Evangelistæ. Disertissimo. ac Luculentissimo. Digestus. Sermone. De Eo quid sit Evangelium et de Nominibus IIII. Evangelistarum qui Evangelium scripserunt. Cap. I. Domini Nostri Ihesu Christi Doctrinam. quam in eius nomine lecturi sumus. grece evangelium latine bonum nuntium dicitur &c.* Opus vero ipsum fol. 7. sic: *Liber Generationis Ihesu Christi. Preterea si tota series noui testamenti libri nomine accipiatur. in Capite libri scriptum est de domino &c.* Praeterea *Bandinio* Capita numerantur